

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIII - N. 1

2001

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2001

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Nova lex fundamentalis Civitatis Vaticanae	3
Allocutio ad Auditores, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos.	9
Allocutio ad eos qui in Cursu de foro interno Paenitentiariae Apostolicae partem habuerunt.	16

ACTA CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	21
RELATIONES CUM IURIS CANONICIS STUDIOSIS	23

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

Istruzioni sull'invio e la permanenza all'estero dei sacerdoti del clero diocesano dei territori di missione	24
--	----

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Responsum ad dubium propositum de SS.mo Sangiune Christi.	30
---	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio IV)	32
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio V)	62
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VI)	82
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VII)	109
NOTITIAE	133
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	134

**COETUS STUDIORUM
« DE MATRIMONIO »**

**Sessio V^a
(dd. 1-6 iulii 1968 habita)**

Diebus 1-6 iulii 1968, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Lourdusamy et Banks; Ill.mi ac Rev.mi Anné, Damizia, Quinn, Garcia Barberena, Chen, Cremin, Chen-Tao-Che, Flatten; Rev.mus P. Huizing; et Cl.mus Giacchi.

Praesentes etiam erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis et Rev.mus Voto, a studiis ipsius Commissionis.

Sextae et septimae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris autem adunationibus praefuit Rev.mus Secretarius. Rev.mus Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.

In praesenti Sessione Consultores progressi sunt in considerandis quaestionibus de consensu matrimoniali, de quo iam in Sessione praecedenti disceptaverunt.


**Adunatio I^a
die 1 iulii 1968 – mane**

Rev.mus Secretarius salutem dicit Consultoribus et introducit argumenta in hac Sessione examinanda, deinde petit a Rev.mo Relatore ut singulas quaestiones proponat.

Rev.mus Relator dicit primam quaestionem esse illam de recognoscenda norma canonis 1082, § 2 (Haec ignorantia post pubertatem non prae sumitur). Circa quam duae propositiones a Consultoribus factae sunt:

- ut loco talis presumptionis dicatur potius de *discretione* requisita ad validum matrimonium contrahendum (Rev.mus nonus Consultor);
- ut assertio huius § 2 redigatur positivo modo: « *hae scientia post pubertatem semper prae sumitur* » (Exc.mus secundus Consultor).

Circa has duas propositiones requiruntur sententiae Consultorum.



a. *De «discretione» loco «praesumptionis»*

Exc.mus primus Consultor dicit aliam esse quaestionem de scientia minima requisita, de qua in praesenti canone, aliam esse quaestionem de discretione de qua potius agendum esset in aliquo directorio pastorali.

Exc.mus secundus Consultor dicit discretionem pertinere ad illa quae ad matrimonium sponsos praeparant, dum in casu nostro agitur de scientia minima ad consensum validum praebendum. Ceterum dubitari non potest quin in notione scientiae minimae aliqualem notionem discretionis impli-cite ac in confuso contineatur.

Rev.mus tertius Consultor idem dicit ac Exc.mi primus et secundus Consultores et notat, praeterea, gradum discretionis cohaerere cum gradu culturae singulorum hominum et populorum, qua causa difficilis evaderet redactio normae quae omnibus applicari posset.

Rev.mus quartus Consultor censet aliquid de discretione inseri posse in cap. de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent.

Rev.mus quintus Consultor asserit «*discretionalitatem*» non pertinere tantum ad pastoralem. Videtur ad ius quoque naturale pertinere quod sponsi «*discretionem*» habeant ad matrimonium contrahendum ideoque tale principium sanciri posset in nostro Codice.

Rev.mus sextus Consultor dicit «*discretionem*» supponere scientiam practicam, quae, in casu, cognitionem aestimativam matrimonii importat. Sed de hoc nihil dicendum in Codice, cum ad doctrinam pertineat.

Rev.mi septimus et octavus Consultores petunt ut in can. 1082 tantum de scientia minima sermo sit: si notio quoque discretionis hic introducetur, iam explanatio magna casuum induceretur ad nullitatem matrimonii in-vocandam.

His dictis, etiam Rev.mus nonus Consultor convenit cum aliis Consultoribus aliam esse quaestionem de scientia minima, aliam esse quaestionem de discretione, quapropter de sua propositione decedit.

b. *Num § 2 redigenda sit modo positivo*

Exc.mus primus Consultor, et Rev.mi tertius, nonus, septimus et octa-vus Consultores formulam negativam malunt prout est in Codice.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit formulam negativam, prout est in Codice, inutilem esse eo quod iam per canonem 1014 sancita est praesumptio pro valore matrimonii. Quapropter vel formula positiva redi-gatur vel plane omittatur.

Rev.mus tertius Consultor dicit Rev.mo quarto Consultori § 2 omitti

non posse ob rationes processuales, quia asserit illam scientiam minimam, de qua in § 1, praesumitur adesse in illis qui pubertatem assecuti sunt.

Rev.mus sextus Consultor dicit formulam Codicis, quod ad rationem stili pertinet, non esse rectam. Negative enim loquendo minus exprimit quam exprimere vult ac debet.

Nam exprimit: *non praesumitur illam ignorantiam post pubertatem adesse.*

Sed exprimere vult ac debet: «*praesumitur illam ignorantiam post pubertatem non adesse*».

Praesumptio iuris solummodo existit, si rei incertae probabilis coniectura ab ipsa lege statuitur (can. 1825, § 1). Sed in formula negativa can. 1082, § 2 — secundum vigorem verborum — nulla praesumptio statuitur, sed deficientia praeumptionis declaratur. Mens autem illius paragraphi est ut aliqua praesumptio statuatur, quod quidem solummodo positive loquendo fieri potest.

Rev.mus Relator dicit per formulam positivam talem praeumptionem adeo fortiter affirmari ut evadat praesumptio *iuris et de iure* contra quam non admittitur nisi probatio indirecta. Praefert ergo formulam negativam, qua praesumptio iuris simpliciter habetur.

Rev.mus Secretarius meminit in can. 1082, § 1, iam recognita, additum esse elementum «cooperationis corporalis», quam contrahentes ignorare non debent. Ex hoc quoque capite formula positiva gravior evaderet atque fines ordinis mere processualis excederet.

Suffragatur placeatne formula negativa:

Placet n. 7; non placet, n. 2; placet iuxta modum, n. 1.

N.B. Modus propositus est a Rev.mo quinto Consultore ut formula ita redigatur: «*Haec ignorantia post pubertatem praesumitur deesse*».

Can. 1083, § 1

Circa § 1 sequentes propositiones Rev.mus Relator considerandas proponit:

a. *Num § 1 retinenda sit*

Rev.mus nonus Consultor enim petit ut § 1 aboleatur quia res est evidens et quia talis error hodie ubique fere impossibilis est ob ascriptiones in tabulis ecclesiasticis et civilibus.

Suffragatur num placeat retinere § 1:

Placet n. 9; non placet, n. 1.

b. *Placeatne propositio decimi Consultoris dicendi nempe «error circa identitatem personae», loco «circa personam»*

Circa propositionem habetur aliqua discussio in qua Rev.mi quartus et sextus Consultores in lucem ponunt ambiguitatem illius verbi «*identitas*». Identitas enim significat *idem esse ac...*, et circumlocutionem inutilem introducit; magis certa videtur locutio latina «*error circa personam*».

Suffragatur num placeat locutio «*identitas personae*»:
Nemini placet.

c. *Placeatne dicere «in persona», loco «circa personam»*

Suffragatur num placeat «*in persona*» loco «*circa personam*»:
Placet omnibus.

Deinde Rev.mus Relator refert propositionem quam habet Rev.mus quintus Consultor in suo voto, ut nempe nova paragraphus introducatur, quae dicat: «*Error substantialis de matrimonii natura vel obiecto matrimonium reddit invalidum*».

Rev.mus quintus Consultor asserit se, per talem propositionem, lacunam implere velle; propositio enim explicite declarat ius aliquod naturae.

Rev.mus quartus Consultor favet propositioni Rev.mi quinti Consultoris sed alii Consultores dicunt propositionem superfluam esse, quia iam in can. 1082, § 1 enunciatur natura matrimonii quam contrahentes ignorare non debent.

Can. 1083, § 2, 1°

(Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum: 1° *Si error qualitatis redundat in errorem personae*).

Prout factum est in § 1, omnes Consultores malunt verbum «*in qualitatem*», loco «*circa qualitatem*».

Relator deinde legit propositiones a quibusdam Consultoribus factas:

a. Integra § 2 omittatur (Rev.mus nonus Consultor).

b. N. 1° ita corrigatur: «*Si error qualitatis redundet in errorem identitatis, scilicet si obiectum voluntantis nupturientis est prius qualitas quam persona quae illa qualitate videtur pollere*» (decimus Consultor).

c. § 2 (omisso n. 2°) uniatur cum § 1 hoc modo: «*Invalidum reddit matrimonium error circa personam aut circa qualitatatem qui redundat in errorem personae*» (Rev.mus quartus Consultor).

d. Omittantur verba «*etsi det causam contractui*» et dicatur: «*Error in qualitatem personae matrimonium tunc tantum invalidat: 1°, 2°, 3° ...*» (Exc.mus secundus Consultor).

Adunatio II^a
die 1 iulii 1968 – vespere

Consultores prosequuntur discussionem circa can. 1083, § 2, n. 1°.

Quaestio fit num recipi possit sententia eorum qui dicunt in hac paragraphe comprehendi etiam errorem circa qualitatem per quem quis errat circa identitatem *moralement* alterius partis. Si talis sententia placeret Consultoribus, dicit Rev.mus sextus Consultor, tunc ratio haberetur non omittendi § 2, n. 1°: sed si talis sententia non placet, § 2, n 1° omitti potest, quia est redundantia quae resolvitur in § 1: error enim qualitatis redundans in errorem identitatis physicae personae idem est ac error in persona. Iamvero Consultores et ipse Rev.mus sextus Consultor censem talem sententiam admitti non posse, quia illi casus, in praxi, non sunt nisi conditiones de quibus in can. 1092.

Fere omnes Consultores tamen censem § 2, n 1° omitti non posse. Merito enim C1C distinguit errorem in persona et errorem qualitatis qui redundet in errorem personae, quae distinctio retineri debet.

Tunc quaeritur num placeat in unum redigere § 2 (omisso n. 2°) et § 1, iuxta propositionem Rev.mi quarti Consultoris:

Placet n. 4; non placet n. 5; placet iux modum n. 1.

Desideratur ergo paragraphus distincta. Cum autem omnes Consultores (excepto sexto Consultore) velint abolitionem n. 2° (de conditione servili), redactio § 2 ita proponitur a Rev.mo octavo Consultore:

«Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium non dirimit nisi redundet in errorem personae».

Formula omnibus placet.

Deinde fit transitus ad quaestionem de dolo.

Omnes enim Consultores, in suis votis, petunt ut effectus erroris dolosi in matrimonii validitatem in novo Codice recipiatur.

Post aliquam discussionem praeliminarem, omnes Consultores concordant circa haec tria:

- dolus debet esse gravis;
- lex in favorem partis innocentis esse debet;
- nihil inquirendum est de fundamento, seu quo iure defectus consensus ex dolo matrimonium irritet.

Adunatio III^a
die 2 iulii 1968 – mane

Relator quaestionem ponit utrum species doli taxative statui debeant enumerando scilicet, ad instar catalogi, qualitatis errores qui iuris attentio nem merentur, an potius opportunum sit generalem clausulam irritantem efformare in qua qualitates defectus consensus ex dolo definiantur, ita ut iurisprudentiae et doctrinae iudicare competant quinam casus quaeque species casuum in hoc defectu comprehendantur.

Rev.mus Secretarius Consultores monet ut prae oculis habeant essentiam doli, quae consistit in iniusta machinatione ad alium decipiendum. Id videtur postulare ut perpendantur elementa quibus defectus consensus ex dolo inducitur, quin tempus impendatur ad series casuum examinandas. Oportet scilicet, sicuti in can. 1087 circa metum, legem generalem edicere qua matrimonium initum ex deceptione doloso (antecedente? gravi? errorem substantialem gignente? etc.) invalidum declaratur.

Plures Consultores consentiunt circa opportunitatem edicendi legem generalem. Sed Exc.mus secundus Consultor et Rev.mus tertius Consultor insistunt ut examinentur et determinentur illi casus in quibus actio ex deceptione moveri possit. Postquam certi definitique casus, in sua gravitate pro vita matrimoniali, examinati sint, potest lex quoque generalis statui.

Decimus Consultor notat quod Rev.mus tertius Consultor, ex suo modo loquendi, videtur defectum ex dolo ita concipere ut suam naturam et essentiam repeatat ex re obiectiva de qua quis decipitur, potius quam ex errore quem dolus iuiuste gignit in intellectu, ita ut voluntas rem, dolo propositam, tamquam bonum amplectatur. Essentia vera huius defectus, dicit Decimus Consultor, pendet ex vitio consensus quia, ex dolo inducto, deficit realis congruentia duarum nubentium voluntatum, quin dicatur de iniuria decepto facta. Ad facilius edendam normam de defectu consensus ex dolo, analogia instituenda est cum norma de vi et metu.

Rev.mus quartus Consultor convenit cum decimo Consultore circa essentiam repetendam ex vitio consensus, at praescindi nequit, dicit ipse, ab obiecto, a qualitate scilicet cui error dirigitur. Immo in hypothesi quod tale impedimentum sit iuris ecclesiastici, necessarium est omnino gravitatem casuum in sua obiectivitate perpendere. Ceterum, si sistere debemus in analogia cum defectu ex vi et metu, considerare oportet quod radix illius defectus repetitur ex *vi illata*, quae certe est aliquid obiectivum.

Exc.mus secundus Consultor consentit cum Rev.mo quarto Consultore, sed Rev.mus Secretarius et decimus Consultor notant in defectu vis et metus radicem nullitatis matrimonii repeti ex defectu consensus *ob vim il-*

latam, et in casu doli radix nullitatis item repeti debet ex defectu consensus, ob errorem dolo inductum.

Etiam Rev.mus undecimus Consultor consentit cum Rev.mo quarto Consultore et censem analogiam etiam institui posse cum conditione interpretativa de qua aliquae sententiae Rotales habentur.

In statu Rev.mus quartus Consultor qui appellat ad Coetum ut decidere velit utrum dolus hic considerandus sit tantum sub aspectu subiectivo *per iniustam deceptionem in re gravi*, an *etiam* sub aspectu obiectivo considerandus sit, ita ut restringatur ad casus qui arcte nectuntur cum essentia matrimonii.

Rev.mus sextus Consultor notat per hanc discussionem iam gressum factum esse ad ipsam substantiam formulae redigendae, dum Coetus adhuc respondere debet primae quaestioni positae a Relatore: utrum scilicet confi cienda sit generalis clausula irritans, an catalogus casuum redigi debeat.

Omnis Consultores concordant melius esse, ad expeditius et fructuouse in labore prosequendum, ut aliqua formula, in votis Consultorum proposita, examinetur. Unanimiter seligitur formula Rev.mi sexti Consultori:

«Matrimonium invalidum est si quis graviter ac dolose de alterius partis qualitate magni momenti deceptus matrimonium ineat, quod re vere cognita non contraheret».

Consultores sequentes adnotationes faciunt circa hanc formulam:

a. Mensura gravitatis deceptionis, in tali formula, relinquitur subiective iudicanda, nam dicit *«quod re vera cognita non contraheret»*. Ad vitandum hoc incommodum, dicatur *«de qualitate maximi momenti»* (Rev.mus quartus Consultor).

Sed Rev.mus undecimus Consultor negat talem periculum subiectivitatis, quia iurisprudentiae et doctrinae erit regulas definire ad perpendendam gravitatem deceptionis.

Negat quoque Rev.mus Secretarius quia, dicit ipse, in formula Rev.mi sexti Consultoris habentur verba *«quod re vere cognita»*, cognita scilicet in sua realitate obiectiva, *«non contraheret»*.

b. Formula corrigi posset hoc modeo: *«... quando quis ita deceptus est ut matrimonium ineat»* (Exc.mus primus Consultor).

c. Omittantur verba *«graviter ac dolose»* quae sunt redundantia (Exc.mus primus Consultor et Ill.mus decimus Consultor).

d. Oporteret melius in lucem ponere elementum machinationis ad diciendum (Ill.mus decimus Consultor).

e. Quaenam sunt qualitates magni momenti? Agendum est de qualitatibus quae cohaereant cum essentia matrimonii (Exc.mus secundus Consultor et Rev.mus quintus Consultor).

f. Formula corrigi posset hoc modo: «....*dummodo haec qualitas sit re vera causa motiva matrimonii ineundi*» (Rev.mus nonus Consultor). Sed talis propositio nemini placet.

Animadversionibus Consultorum pree oculis habitis, Rev.mus tertius Consultor proponit hanc formulam:

«*Si quis ob dolum deceptus de alterius partis qualitate, quae consortium vitae graviter perturbet, ad matrimonium contrahendum inducitur, invalide contrahit*».

Nota distinctiva huius formulae, communi iudicio Consultorum, in eo est quod gravitas deceptionis repetitur ex qualitate quae *consortium vitae perturbet*, ex qualitate scilicet quae qualificatur in ordine ad matrimonium. Ex hoc capite formula placet, sed plures adnotationes Consultores faciunt:

a. In formula Rev.mi tertii Consultoris etiam dolus a tertia persona inductus invalidat matrimonium, quod non videtur admittendum, vel saltem a Coetu expresse deliberandum est (Rev.mus Relator).

b. Formula est nimis lata: omnes enim qualitates quae aliquo modo afficiunt vitam matrimoniale, v.gr. diversitas indolum, possunt esse obiecta erroris dolosi (Rev.mus undecimus Consultor, Rev.mus octavus Consultor).

Rev.mus tertius Consultor, talem suggestionem probans, dicit formulam corrigi posse per verba: «...quae consortium vitae *ex sese* graviter tangat...».

c. Dicatur: «...qualitatem *maximi* momenti, quae (Rev.mi nonus et quartus Consultores) “...*ex sese* graviter perturbat...”» (Rev.mus quartus Consultor).

d. Loco «*perturbet*» dicatur «*tangat*» (Ill.mi sextus et decimus Consultores) vel «*nimirum difficilem reddit*» (Rev.mus sextus Consultor), vel «*impossibilem reddit*» (Rev.mus Secretarius).

e. Dicatur «...*qualitatem, quae ipsam personam tangit quaeque consortium vitae, etc...*» (quintus et decimus Consultores),

f. Dicatur «...*qualitatem, quae iuxta aestimationem communem nata est, etc...*» (Rev.mus undecimus Consultor).

g. Dolus de quo sermo, duplice sub respectu considerari potest:

1. *Relate ad subiectum passivum* ipsius doli, seu relate ad victimam doli, et hunc aspectum admittit formula Rev.mi tertii Consultoris, secun-

dum quam victimae doli – probatis probandis – libertas novas nuptias ineundi permittitur, cum aliquo modo consensus eiusdem vitietur.

In hac formula loco «*ex sese*» potius «*natura sua*» et loco «*nata sit*» magis «*apta sit*» dicatur, cum haec vocabula magis “*qualificant*” qualitates ipsum consortium graviter perturbantes.

2. Si vero in dolo inspiciamus *subjectum activum* seu ad auctorem ipsius doli, alia formula adhiberi posset, ea nempe quae machinationem, malam fidem unius partis exprimat, eandemque inhabilem reddat ad matrimonium valide contrahendum. Hoc in casu dolus constitueret impedimentum proprie dictum matrimoniale.

Haec nova formula his vel similibus verbis exprimi posset:

«*Si quis coram altera parte defectum quemdam qui natura sua aptus sit, ad consortium vitae (ad vitam coniugalem) graviter perturbandam, dolose (mala fide) reticuerit. (occultaverit, celaverit) dum eadem persona nequit validum inire matrimonium*» (Exc.mus secundus Consultor).

h. Expressio «*dolo deceptor*» non placet, cum iam vox doli in se contineat deceptionem (Exc.mus secundus Consultor).

Post hanc discussionem Rev.mus Secretarius notat quod iam notabiles progressus facti sunt in enucleatione elementorum quae in novam legem ingredi debent. Si quis Consultorum vult conamen facere alicuius novae formulae redigendae, id coetui gratum erit.

Adunatio IV^a die 3 iulii 1968 – mane

Rev.mi tertius, quartus et sextus Consultores et Rev.mus Relator sequentes tres formulas alternative proponunt¹

1. *Qui dolo deceptor de partis qualitate, quae ex sese nata est ad consor-*

¹ Sequentes Consultores alias formulas proposuerunt:

– Exc.mus primus Consultor: «*Invalidum est matrimonium ad quod contrahendum quis inducitur, dolo deceptor de aliqua circumstantia personali alterius partis, quae ex sese ad consortium vitae coniugale graviter perturbandum nata sit.*

– Rev.mus quintus Consultor: [vel in can. 1083 bis] «*Invalidum est matrimonium contractum a persona ob dolosam deceptione de alterius partis qualitate quae (ipsam personam tangit et) a matrimonio ineundo absterrere solet.*

[vel in can. 1083 § 2] § 2. *Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium dirimit tantum:*

tium vitae graviter perturbandum, ad matrimonium inducitur, invalide contrahit.

2. *Invalidum est matrimonium initum ob dolosam deceptionem de partis qualitate quae ex sese nata est ad consortium vitae graviter perturbandum.*

3. *Invalidum est matrimonium contractum a persona dolose decepta de partis qualitate quae ex sese nata est ad consortium vitae graviter perturbandum.*

Rev.mus quartus Consultor explicat tres has formulas:

Prima formula repetit formulam quam Rev.mus decimus Consultor proposuit in praecedenti adunatione; in tali formula sermo est tantum de parte decepta cuius matrimonium invalidatur.

In secunda formula sermo est et de decepto et de deceptore.

Tertia formula est aliquid medium inter primam et secundam.

Consultores primam formulam perpendunt.

Ill.mus decimus Consultor proponit ut dicatur «...*qui gravi dolo deceptus...*», ita ut dolus sit gravis sive ex parte obiecti cui error dirigitur sive ex parte machinationis decipientis.

Rev.mus tertius Consultor, contra Ill.mus decimum Consultorem, dicit machinationem aliquando esse levem, circa qualitatem tamen magni momenti, quapropter non placet verbum «*gravi (dolo)*».

Rev.mus Secretarius dicit quod dolus qualificatur in sua gravitate ab obiecto, ideoque propositio decimi Consultoris, melior evaderet si diceretur «...*qui dolo graviter deceptus...*».

Ill.mus decimus Consultor consentit cum Rev.mo Secretario. Non consensit vero cum Rev.mo quarto Consultore, qui dicit sufficere qualificationem gravitatis provenientem ex gravitate obiecti (qualitas quae *ex sese nata* est ad consortium perturbandum); si diceretur «*graviter deceptus*», esset redundantia, cum gravitas deceptionis iam provenit ex gravitate obiecti. Propositio autem decimi Consultoris exprimere vult potius gravitatem ex gravi machinatione provenientem.

1° *si error qualitatis redundet in errorem personae;*

2° [vel i)] *si error est dolo inductus de qualitate quae (ipsam personam tangit et) a matrimonio ineundo absterre solet.*

2° [vel ii)] *si persona, cum qualitate quae (ipsam personam tangit et) a matrimonio ineundo absterre solet, matrimonium contrahat cum persona quae ex dolosa reticentia (deceptione) de hac qualitate est in errore qui dat causam contractui.*

Rev.mus sextus Consultor, in linea gravitatis provenientis ex obiecto, negat illud «*graviter deceptus*» esse redundantiam. Per illa verba enim assentur errorem gravem esse oportere etiam quoad extensionem (non solum quoad obiectum). Fac quempiam non ignorare — dicit Rev.mus sextus Consultor —, sponsam suam contagiosa laborare tubercolorum phthisi, eundem tamen errare, ex dolo inducto, de phthiseos specie. Heic error equidem in periculosum terminatur morbum, in adiunctum igitur quod, obiectum quod spectat, grave est. Sed gravis extensio erroris, in casu, deficit. Ignorantia huius sponsi circa speciem inferiorem infirmitatis, si cum scientia comparetur quam habuit periculosi morbi sponsae suae, nonnisi insignificans consideranda est neque, quae a iure attendatur, meretur.

Suffragatur an placeat «*graviter deceptus*» necne:

Placet n. 3; non placet n. 7; abstinet a sententia ferenda n. 1.

Rev.mus Relator quaerit num positiva machinatio requiratur, an etiam reticentia dolosa sufficiat ut matrimonium invalidetur.

Plures Consultores tenent reticentiam, dummodo sit dolosa, aequiparari positivae machinationi; aliqui, tamen (Exc.mus primus Consultor et Rev.mi sextus et octavus Consultores) putant per verba «*dolo deceptus*» etiam casus reticentiae dolosae comprehendendi, alii vero (tertius, nonus, quartus, quintus et decimus Consultores et Rev.mus Relator) volunt expressam mentionem reticentiae per verba: «...*qui dolo, etiam per reticentiam patrato, deceptus etc...*».

Ceteri Consultores (Exc.mus secundus Consultor et Rev.mus septimus Consultor) putant reticentiam non sufficere ad invocandam nullitatem matrimonii, quia reticentia pertinet ad ius personae et nemo tenetur tradere semetipsum.

Suffragatur placeatne expressa mentio reticentiae per verba: «...*qui dolo, etiam per reticentiam patrato, deceptus etc.*»:

Placet n. 7; non placet n. 4.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut qualitas, cui error dirigitur, qualificetur, in sua gravitate, non in ordine ad matrimonium in facto esse («*quae...nata est ad consortium vitae perturbandum...*»), sed in ordine ad matrimonium in fieri et revocat suam formulam quam proposuit («*ob dolosam deceptionem abstergere solet*»).

Exc.mus primus Consultor et Rev.mi septimus et octavus Consultores assentiuntur Rev.mo quinto Consultori, sed omnibus aliis Consultoribus propositio non placet.

Consultores tertius et decimus censem verba: «...*qualitate, quae ... nata est ad consortium perturbandum...*» esse impropria. Qualitas enim dicit aliquid positivum quod non potest perturbare consortium. Quapropter potius dicent: «...*qualitate, cuius deficientia ex sese nata est etc...*».

Sed alii Consultores dicunt verbum «*qualitas*» intelligi posse sive positive sive negative, quapropter propositio Consulorum tertii et decimi non placet.

Rev.mus Secretarius notat quaestionem hanc pertinere potius ad latinitatem et promittit Consuloribus se commissurum nostram formulam aliqui latinae linguae perito ad illam expoliendam.

Adunatio V^a
die 4 iulii 1968 – mane

Rev.mus Secretarius praebet Consuloribus formulam² a linguae latinae perito expolitam:

«*Qui matrimonium init dolo deceptus, dolo etiam per reticentiam causato, circa eam alterius partis qualitatem quae nata est ad consortium vitae graviter perturbandum, invalide contrahit.*»

Rev.mus quintus Consulor petit ut suffragatur quaenam formula placet Consuloribus tamquam basis discussionis.

Septem Consuloribus (contra quattuor Consuloribus) placet ut discussio habeatur de prima formula, quae iam examinata et nuperrime expolita est.

Discussio ergo ulterius fit de formula proposita et plures proferuntur emendationes, de quibus suffragatio aliqua proponitur.

Talis suffragatio, dicit expresse Rev.mus Secretarius, non assumatur ut definitiva; cum enim de re valde difficiili agatur, bene est ut suffragatio ha-

² Rev.mus quintus Consulor praebet Consuloribus alias formulas:

1. Formula Generalis

Vel in can. 1083 bis: Invalidum est matrimonium contractum ob dolosam deceptionem, etiam per reticentiam patratam, de partis qualitate magni momenti.

Vel in can. 1083 § 2, 2°: § 2. Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium dirimit tantum:

1° Si redundet in errorem personae:

2° Si inductus sit dolo, etiam per reticentiam patrato, de qualitate magni momenti et det causam contractui

2. Formula Specificans (can. 1083 bis): Invalidum est matrimonium contractum ob errorem dolo, etiam per reticentiam patrato, inductum de morbo venereo, homosexualitate, (mulieris) praegnantia ex alio viro, aliisve huiusmodi qualitatibus (quae a matrimonio contrahendo absterrere solent).

beatur tamquam exploratio quaedam mentis suffragantium, qua cognita, crastina die ad suffragationem definitivam ex parte omnium securius deveneri possit.

En conspectus emendationum propositarum, una cum exitu suffragationum *prae*liminarium:

1. Dicatur «*patrato*» loco «*causato*» (Rev.mus sextus Consultor).
Placet n. 8; non placet n. 3.

2. Dicatur «*aliquam*» loco «*eam*» (Rev.mus sextus Consultor).
Placet n. 9; non placet n. 1; abstinet a sententia ferenda n. 1.

3. Omittantur verba «*ex sese*» (Rev.mus quartus Consultor).
Placet n. 6; non placet n. 5.

4. Dicatur «*consortium vitae coniugalis...* » (Exc.mus primus Consultor).
Placet omnibus.

5. Loco «*quae*» dicatur «*cuius exsistentia vel deficientia*» (Rev.mus sextus Consultor):
Placet n. 5; non placet n. 6.

6. Dicatur «*ad matrimonium evitandum*» loco «*ad consortium...perturbandum*» (Exc.mus primus Consultor).
Placet n. 3; non placet n. 7; abstinet a sententia ferenda, n. 1.

7. Post verbum «*perturbandum*» exempla afferantur intra parenthesim (Exc.mus secundus Consultor).
Placet n. 1; non placet n. 8; abstinet a sententia ferenda n. 1.

8. Omittantur verba «*dolo etiam per reticentiam*» (Rev.mus tertius Consultor).
Placet n. 2; non placet n. 9.

9. Dicatur «*incusso*» loco «*causato*» (Rev.mus septimus Consultor).
Placet n. 2; non placet n. 9.

10. Dicatur «*defectum*» loco «*qualitatem*» (Rev.mus septimus Consultor).
Placet n. 2; non placet n. 9.

11. Dicatur « *qui consortium vitae coniugalis communiter perturbet* » (Rev.mus septimus Consultor):

Placet n. 2; non placet n. 9.

12. Dicatur « *...init deceptus dolo, etiam per reticentiam causato, vel patrato* » (Rev.mus quintus Consultor):

Placet n. 8; non placet n. 3.

13. Dicatur « *...dolo graviter iniurioso deceptus* » (Rev.mus octavus Consultor)

Placet n. 2; non placet n. 9.

14. Dicatur « *...qui dolus natus est ad consortium vitae perturbandum* » (Rev.mus Relator).

Placet n. 6; non placet n. 5.

15. Dicatur « *Qui dolo deceptus, etc...matrimonium init, quod re vere cognita non contraheret, invalide contrahit* » (Rev.mus sextus Consultor):

Placet n. 4; non placet n. 6; abstinet a sententia ferenda n. 1.

Adunatio VI^a
die 5 iulii 1968 – mane

Huic conventui praeest Em.mus Cardinalis Praeses.

Primum suffragantur emendationes propositae circa formulam novi canonis de dolo, ad mentem eorum quae heri dicta sunt.

En exitus suffragationis:

1. Dicatur « *patrato* » loco « *causato* » (Rev.mus sextus Consultor).
Placet n. 8; non placet n. 3.

2. Dicatur « *aliquam* » loco « *eam* » (Rev.mus sextus Consultor).
Placet n. 9; non placet n. 1; abstinet a sententia ferenda n. 1.

3. Omittantur verba « *ex sese* » (Rev.mus quartus Consultor).
Placet n. 8; non placet n. 3.

4. Dicatur « *consortium vitae coniugalis...* » (Exc.mus primus Consultor).
Placet n. 9; non placet n. 2.

5. Loco «*quae*» dicatur «*cuius exsistentia vel deficientia*» (Rev.mus sextus Consultor):

Placet n. 4; non placet n. 6; abstinet a sententia ferenda n. 1.

6. Dicatur «*ad matrimonium evitandum*» loco «*ad consortium...perturbandum*» (Exc.mus primus Consultor).

Placet n. 5; non placet n. 6.

7. Post verbum «*perturbandum*» exempla afferantur intra parenthesim (Exc.mus secundus Consultor).

Placet n. 2; non placet n. 9.

8. Omittantur verba «*dolo etiam per reticentiam*» (Rev.mus tertius Consultor).

Placet n. 3; non placet n. 8.

9. Dicatur «*incusso*» loco «*causato*» (Rev.mus septimus Consultor).

Placet n. 2; non placet n. 9.

10. Dicatur «*defectum*» loco «*qualitatem*» (Rev.mus septimus Consultor).

Placet n. 3; non placet n. 8.

11. Dicatur «*qui consortium vitae coniugalis communiter perturbet*» (Rev.mus septimus Consultor):

Placet n. 2; non placet n. 9.

12. Dicatur «*...init deceptus dolo, etiam per reticentiam causato, vel parato*» (Rev.mus quintus Consultor):

Placet n. 7; non placet n. 4.

13. Dicatur «*...dolo graviter iniurioso deceptus*» (Rev.mus octavus Consultor)

Placet n. 2; non placet n. 9.

14. Dicatur «*...qui dolus natus est ad consortium vitae perturbandum*» (Rev.mus Relator).

Placet n. 5; non placet n. 6.

15. Dicatur «*Qui dolo deceptus, etc...matrimonium init, quod re vere cognita non contraheret, invalide contrahit*» (Rev.mus sextus Consultor):

Placet n. 5; non placet n. 6.

Igitur, post hanc suffragationem, formula canonis ita redigi debet:

«*Qui matrimonium init deceptus dolo, etiam per reticentiam patrato, circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum, invalide contrahit.*»

Em.mus Cardinalis Praeses dicit laudabiles esse labores quibus Consultores pervenerunt ad formulam canonis de materia tam gravi et omnino nova in lege canonica. Monet tamen Consultores ut adhuc quaestionem considerent ut, in proxima Sessione, de ipsa formula et de aliis clausulis, forte addendis, recogitari possit.

Plures Consultores, una cum Rev.mo Secretario, vellent ut in proxima Sessione, salva formula iam probata, sequentes quaestiones examinentur:

1. num dolus qui in valorem matrimonii incidet, a tertia persona in cuti possit;
2. num dolus debeat esse incussus ad extorquendum consensum;
3. num dolum committens accusare matrimonii nullitatem valeat.

Consentit Em.mus Praeses circa has novas quaestiones, sed nihil prohibet, dicit ipse, quin ipsa formula canonis denuo consideretur, si maior pars Consultorum tales animadversiones circa ipsam faciant, quae eiusdem recognitionem exigant.

Can. 1084

a. Prima quaestio circa hunc canonem movetur a Rev.mo novo Consultore qui dicit verba «*simplex error*» confusionem gignere, quia in concreto numquam dabitur error qui maneat in intellectu, quin influat in voluntatem. Error contra substantiam contractus, tempore quo contrahitur existens, consensum afficit, ita ut non sit verus consensus.

Sed huic obiectioni Consultores communiter tenent aliquem posse habere opinionem speculativam erroneam, quae tamen non determinat actionem propriam concretam. v. gr., quis habere potest opinionem matrimonium esse dissolubile propter adulterium, vel etiam propter alias graves rationes. Inde tamen non necessario sequitur ut ipse, cum propria sponsa, tantum contrahere vellet matrimonium, quod dissolvetur si huiusmodi rationes occurrerint. Si probaverit se, tempore contractus initi, habuisse talēm opinionem, nondum probavit se voluisse matrimonium dissolubile. Multi sunt homines, etiam catholici, qui opinioneas erroneas habent de proprietatis essentialibus matrimonii, tamen ipsi matrimonium cum illis qualitatibus contrahere volunt.

b. Altera quaestio movetur circa verba «*etsi det causam contractui*».

Exc.mus secundus Consultor proponit ut illa verba in contrarium mutentur, scilicet: «*nisi det causam contractui*». Causa enim immediata matrimonii est voluntas partium, quae tendere debet in unitatem et indissolubilitatem – quae pertinent ad obiectum substantiale consensus matrimonialis. Si partes nolunt, vel etiam negative non volunt, unitatem vel indissolubilitatem, nec unitas nec indissolubilitas nec matrimonium existunt. Iamvero voluntas tendere nequit in unitatem et indissolubilitatem, nisi intellectus has proprietates percipiat, saltem implicite. Quapropter verba «*etsi det causam contractui*» sustineri nequeunt et in contrarium, ut supra, mutanda sunt, ita ut casus talis erroris, qui sit causa matrimonii, casui frustrae conditionis aequiparandus sit.

Admittit Exc.mus secundus Consultor difficultatem maximam hac in re inveniri in eo quod Ecclesia matrimonia acatholicorum, inter se contracta, semper valida habuit, etsi iuxta eorum doctrinam et proxim solubilia sint et lege civili persaepe de facto dissolvuntur. Sed ipse Exc.mus secundus Consultor optat ut theoria et praxis Ecclesiae de valore matrimoniorum duorum acatholicorum novo examini subiiciatur, ne Catholici plus iuris et valoris tribuere videantur illis matrimonii, quam ipsi protestantes.

Aliqui Consultores (Rev.mi septimus et nonus Consultores et Rev.mus Relator) concordant cum Exc.mo secundo Consultore.

Alii (Rev.mi tertius, quartus, octavus et quintus Consultores) concedunt quod, si littera inspiciatur, illa verba («*etsi det causam contractui*») implicant aliquam contradictionem, sed tamen sensus substantialis canonis omnibus notus est et ab omnibus admittitur, qui quidem sensus omnino retineri debet. Canon ergo maneat prouti est.

Alii Consultores, tandem, (sextus et decimus) petunt ut formulatio technica huius canonis mutetur, quin sensus substantialis mutetur.

Rev.mus Secretarius notat quod, difficultatibus non obstantibus, numquam canon iste mutatus est, quia tandem aliquando omnes auctores conveniunt circa rectitudinem iuridicam ipsius canonis, quamvis eius technica formulatio, quod ad animi motus pertinet, aspere fertur. Ratio huius asperitatis provenit ex verbis «*etsi det causam contractui*». Iamvero, uti omnibus notum est, alia est causa intrinseca, alia est causa extrinseca contractus. Causa intrinseca est ipsa res, de qua agitur, ipsum matrimonium scilicet prout institutum naturae et error non tangit neque tangere potest talem causam intrinsecam. Tangere tamen potest causam extrinsecam, rationes scilicet quibus ad matrimonium quis inducitur. Quoniam vero animus difficulter distinguit causam intrinsecam a causa extrinseca, en ratio intima illius asperitatis.

Adunatio VII^a
die 6 iulii 1968 – mane

Consultores prosequuntur discussionem circa can. 1084.

Exc.mus secundus Consultor resumit suas suggestiones ex sequentibus capitibus:

- a. Can. 1084 contradicere videtur can. 104 vel illi derogat;
- b. Verbum «*simplex*», verbo «*error*» adiecto, omitti potest: non enim datur, saltem in usu, error *non simplex*, seu qualificatus, sicuti fit in distinctione metus.
- c. Omittantur verba «*etsi det causam contractui*». Nota est traditionalis distinctio inter *conditionem* et *causam*. Prima influit in ipsum consensum, altera vero motiva, quasi externa, considerari solet. Sed quid iuris si error ita causam dederit contractui ut propter solubilitatem quis contraxerit, securus nullo modo contraxisset? Seu quid iuris si ille error, causam dans, conditio sine qua non evadat?
- d. «*Non vitiat consensum*»: forsan melius dici potest: «*non reddit consensum invalidum*».

His praemissis, dicit Exc.mus secundus Consultor, canon his, vel similibus verbis, confici posset:

«*Error circa proprietates essentiales matrimonii (unitas, indissolubilitas, sacramentalitas) non reddit consensum invalidum, nisi una alteraque earum (ab alterutra vel utraque parte) excludatur*».

Rev.mus tertius Consultor negat quod per can. 1084 derogetur can. 104, quia in can. 104 agitur de errore practico, dum in can. 1084 agitur de errore speculativo. Difficultates quas praebet can. 1084 solvuntur per can. 1086. Ceterum clausula «*etsi det causam contractui*» est tantum hypothetica. Proinde canon maneat prout est.

Rev.mus quartus Consultor, contra Rev.mum tertium Consultorem, dicit ad rem non suppetere distinctionem inter errorem practicum et errorem speculativum, sed potius distinctionem, quam fecit Rev.mus Secretarius, i.e. inter errorem circa causam extrinsecam et causam intrinsecam vel, melius, inter errorem subiectivum et obiectivum.

Si comparetur can. 1084 cum can. 1081 § 2, videretur adesse gravis contradictio, quia per can. 1081 § 2 indissolubilitas ingreditur in ipsam substantiam obiecti consensus matrimonialis: quae contradictio tamen disolvitur per illam distinctionem inter errorem subiectivum et obiectivum.

Solutio, dicit Rev.mus quartus Consultor, posset esse redigendo novam formulam in qua dicatur:

«Salvo praescripto can. 1081, § 1, 1086, 1092, simplex error circa matrimonii unitatem, etc...».

Rev.mi septimus et sextus Consultores concordant cum Rev.mo quarto Consultore circa meliorem coordinationem can. 1084 cum can. 1081, § 2 et can. 1086.

Rev.mus quintus Consultor has solutiones proponit:

- vel dicatur: «*error non substantialis*» loco «*simplex error*»;
- vel redigatur duae §§: in § 1 edici deberet quod error substantialis invalidat matrimonium; in § 2 edici deberet de errore simplici.

Rev.mus octavus Consultor non habet difficultates circa verba «*etsi det causam contractui*» et dicit illa verba esse necessaria, cum tota vis canonis in illis verbis sit. Monet Consultores ut casus fingant illorum qui contrahunt matrimonium in regionibus ubi viget poligamia vel divorcium. Ibi iudicium practicum quod partes habent circa naturam matrimonii (poligamici vel dissolubilis) est certo error qui dat causam contractui. Sed partes, quando consensum dant, ullam conditionem ponunt expressam contra unitatem et indissolubilitatem matrimonii. En casus erroris, qui dat causam contractui, quin vitiat consensum matrimoniale.

Rev.mus octavus Consultor concludit dicendo fines canonis non esse speculatorios, sed praticos et petit ut canon maneat prout est.

Rev.mus Relator concordat cum Rev.mo octavo Consultore circa fines huius canonis sed censet formulam canonis accommodandam esse exigentiis doctrinae quae sunt:

- a. Consensus versari debet circa matrimonium unum et indissolubile (can. 1081, § 2);
- b. Voluntas nequit versari circa unitatem et indissolubilitatem nisi illae qualitates apprehendantur ab intellectu;
- c. Talis apprehensio non necessario provenire debet ex veritate speculativa quam quis tenet circa unitatem et indissolubilitatem, sed sufficit ut talis versetur circa *hoc* matrimonium: partes, scilicet, volunt *hoc* matrimonium *unum et indissolubile*, quidquid speculative teneant de natura matrimonii.

Formula talibus exigentiis respondens posset esse sequens:

«Opinio erronea de unitate vel indissolubilitate matrimonii non ex sese excludit consensum matrimoniale».

Opinio erronea hic accipienda esset in eadem linea simplicis erroris, qui totus scilicet in intellectu terminatur, ita ut eius obiectum non fiat ipsum actus voluntatis obiectum.

Em.mus Praeses notat ex discussionibus Consultorum patere votum ut can. 1084, quoad substantiam, maneat. Rogat Consultores ut, attentis suggestionibus factis, quaestionem adhuc perpendere velint et formulam canonis proponere, quae in proxima Sessione examinari possit.

Can. 1085

Exc.mus secundus Consultor proponit ut canon ita redigatur:

«Scientia aut opinio nullitatis matrimonii ob impedimentum dirimens iuris ecclesiastici vel ob defectum formae legitimae, consensum matrimoniale non necessario excludit».

Ratio est, dicit Exc.mus secundus Consultor, quia utile videtur inserere in canonem causam nullitatis ex iure ecclesiastico ortam. Si, enim, agitur de causa nullitatis orta ex iure divino (ex. gr. ex impedimento ligaminis), haud verus consensus matrimonialis praesumi potest.

Maiori parti Consultorum propositio non placet.

Consultores, enim, censem scientiam aut opinionem nullitatis matrimonii simul stare posse cum vero consensu, etiamsi nullitas sit iuris divini.

Suffragatur placeatne propositio Exc.mi secundi Consultoris:

Placet n. 1; non placet n. 8; abstinet a sententia ferenda n. 1.

